



Procopius ex nobili familia apud Boemos natus, & in omnibus uirtutib. educatus fuit. hūc ex sorore nepotem ob præclaram eius indolē Aqua Pragensis eques ditissimus adoptauit, atq; adolescentem adhuc in Galliam, Hispaniam, Italiā, & deniq; Hierosolymam secum duxit. itaq; factū, ut huiusmodi peregrinationib; rerum peritiam et laborum tolerantiam adeptus fuerit. In patriam reuersus Ziscæ adhæsit, atq; magno loco habitus militares ordines gubernauit. Erat corpore robustus, manu promptus, atq; omnis periculī contempator. Vnde Morauia prouincia, & Iutenburgen-sium defensio ei commissa fuit. Eo tempore Sigismundus oppidum lutenberg graui (ut putabat) obsidione premebat. Verūm Procopius suis militib; inuito hoste, commeatum introduxit, atq; omnem Sigismundi conatum irritum fecit. Cum hoc modo multis in locis corporis & animi fortitudinem declararet, pars maxima Huscitarum post mortem Ziscæ eum sibi ducem legerunt. Quidam enim sine duce existentes sese Orphanos post Ziscæ obitum appellarunt. Itaq; Procopius suos consolatus multo-ties extenorū principū exercitus, Bohemiam intrare audentes, prælio in-rito superauit, ex Bohemia fugauit, atq; magnū sibi apud omnes Europæ in-colas nomē comparauit. Eandem fortunam etiam Iulianus Cardinalis exper-tus, qui cum quadraginta millibus equitum & magno numero peditū ex Sa-xonia, Suevia, Bauaria, Austria, & Brandenburgensium principū ditione collectorum uiictus, & in fugam conuersus est. Cum ergo principes Christia-ni ui nihil contra Bohemos efficere possent, tandem Sigismundi Cesaris con-silio Basileam ad Concilium proceres Bohemi uocati sunt. Disceptatum diu fuit apud Bohemos, ob Iohannis Hussi & Hieronymi de Praga martyrium, quid agendum esset. Verūm tandem eorum sentētia uicit, quī tidei rationem reddere Concilio censuerunt.